



00 Kr

2947
an

J. N. J.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

NATVRA ET VSV
STERNVTATORIORVM,

Quam

Jussu & Autoritate

Illustris ac Gratosissimæ Facultatis Medicæ
in Alma Salana,

PRÆSIDE

RVDOLFO WILHELMO
CRAVSIO,

Heredit. in Mellingen / Phil. & Med. Doct. Pract. & Chim. P.P.
longè celeberrimò, facultatis medicæ Seniore gravissimo,
S. R. I. A. N. C. Collega primario,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore suo perpetuo colendo,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica honores, insignia & privilegia
DOCTORALIA, more majorum, legitime consequendi,
Publico Pultatorum examini subjeit

GOTTLIEB ALBRECHT,

Vratisl. Sil.

Ad d. Julii A. M. DC. XCV.

in Auditorio Majori,

Horis ante & pomeridianis consuētis.

LENÆ, Literis MVLLERIANIS.

M. D. C. C. L. I. I.
D I S S E R T A T I O I N V A G R A E M E D I C A
DE
N A T U R A E T V S U
S P E R I M E N T A T O R I U M

R A D O L F O W I L H E L M O
C R A V S I O

P R O L I C E N T I A
G O T T L I B A L B R E C H T



I. N. J.

CAPVT I.

De Natura Sternutatoriorum.

§. I.



ARTICVLARES capituli

EVACVATIONES consensu
omnium Medicorum, aut per *errhina*,
aut *ptarmica*, aut *apoplegmatis* fi-
unt. vid. *Rolfsnc. in ord. & meth. l. 6. f. 4.*
c. 1. p. m. 605. River. institut. l. 5. part. 1.
f. 2. c. 2. p. m. 154. Sylvium in prax. l. 1.

c. 29. p. m. 172. Sennert. l. 5. institut. part. 2. f. 1. c. 15. p. m. 1035.
Neque differunt invicem *errhina* & *ptarmica*, nisi gradibus, &
quodammodo effectu. vid. *Rolfsnc. l. citat. 6. f. 4. c. 2. p. 608.*
Fallop. meth. de Medic. purg. simp. c. 22. p. m. 98. Sennert. in
prax. part. 1. l. 1. c. 10. p. m. 90. Magnific. Wedel. Patronus &
Præceptor meus æternum devenerandus, de facult. medic. l. 2. f. 2.
c. 11. p. 209. Gradibus differunt, ratione quantitatis, tam se-
condum proportionem totius doseos, quam secundum com-
minutionem particularum; quod enim errhina minori dosi,
id majori sternutatoria audiunt; quò magis alcoholisatæ sunt
eorum species, eò activiores atque penetrantiores evadunt.
Differunt, ratione qualitatis acredine, differunt etiam effectu,
quoad concussionem corporis, & sternutationem, hinc quòq;

A 2

Fallop.

Fallop. loc. cit. p. 97. errhina per se evacuare asserit, ptarmica verò per accidens, quia sternutatione factâ vi quasi mucus egeritur.

§. II.

De Sternutoriis itaque, his præmissis, acturus, primo statim loeo & ordine *Όνοματολογίας* considero, sed, quia partum temporis mihi concessum, brevissimè. *Sternutatio*, unde *Sternutatorium*, quoad etymon immediatè descendit à *Sternuto*, & hoc à *Sterno*. Dicitur igitur *Sternutatio* à *Sternendo*, vel, quod, quidquid cerebrum, ipsiusque membranas gravat, ipsisque molestè incumbit, motu illo foras prosternatur, vel quod interdum à validiori sternutatione totum nervosum & musculosum genus ita concutitur, caputque sternutantium tam valdè terram versus quatitur, & quasi protrudatur, ut ferè in terram antrorsum straturum videatur, imò sæpè corpus in violento illo motu terram versus planè flectatur. Ob hanc ipsam concussionem aliquibus epilepsia quasi parva audit. Quæ igitur motum talem sternutatorium excitant medicamenta, vocantur sternutatoria, it. caput purgia, nasalisa. Græcis *πτερυκία*, à *πτερω* sternuto, unde *πτερωδὴ* sternutatio. Germani dicunt, *Niesepulver* / *Schnupftaback* / *Sauptpulver*.

§. III.

Possunt definiri ptarmica: Quod sint *medicamenta evacuantia*, capiti in specie dicata, quæ processuum mammillariorum in naribus tubulos, ac totius cerebri compagem ac redine suâ stimulare, irritare, serum liquefacere, fundere, atq. vi quadam elastica excutere valent.

§. IV.

Serum comes sanguinis indefessus postquam *ὄχημα τῆς τερφῆς*, secundum divinum Senem in partibus, & sic etiam in capite, reliquit, tandem, ut aliquid superfluum atque superabundans è glandulis cerebri, quasi per cribrum quoddam perpetuè, sed paulatim stillat, vid. prælaudat. *Wedel. in Amenit.*

nit. mater. medic. l. 2. f. 2. c. 15. p. 449. cumque ad os cribri-
forme pervenit, inibi per ejus fibrosa atque impacta fora-
mina, veluti per raram panni lanei texturam hoc seri deph-
vium trasudat, & in statu naturali paulatinò effluxu, (con-
tinuum enim stillicidium molestum foret) pertingit ad nares,
vid. *Willf. Cereb. Anatom. c. 12. p. m. 58. & 60.* ibique in caver-
nulis narium in mucositatem quandam, inprimis ob aërem
appellentem abit, quæ vel strophilo, vel per compendium à
rusticis digitis pollice & indice dictis compressis emungi so-
let; quando verò hi humores in glandulis fluxilitatem suam
cum quadam glutinositate commutant, exquisiti sensus mem-
branam narium ad fortiter excernendum, verbo, ad sternutan-
dum, partim gravitate, partim acrimonia suâ invitant.

§. V.

Quandocumque ergò hujusmodi serosa atque pituitosa,
seu mucosa materia in promontorii capitis cavernis abundat,
neque per se satis evacuari apta est, sed vel in vasis lymphati-
cis, vel etiam in glandulis ipsis glutinosius inhæret, ibi Ster-
nutatoria in adjutorium veniunt; imò omnem absolvunt
(cæteris tamen paribus) paginam, vid. *Gal. l. de instrum. odo-
rat. p. 388.*

§. VI.

De agendi verò modo dum jam solliciti sumus, prius
de vero organo sternutationis aliquid monere conducibile
videtur. Emunctorium hoc totius capitis sunt *nares*, quæ tam
affabrè & concinnè fabricatæ sunt à Summo Creatore, ut ra-
tione membranæ ossis cribriformis, à meninge duriore or-
tæ, in quâ etiam nervus olfactorius radicator, (& quasi nil
aliud, nisi olfactoriorum nervorum merus coëlitus est, unde
tam delicata est) non solum olfactus sint officina vid. præ-
laudat. *Wedel. in physiol. reformat. p. m. 388. & Bobnius in
circulo. anatom. physiol. progymnas. 25. pag. m. 391.* verùm &
præterea tam exquisitissimo polleant sensu, ut facilè quocunq;
admotò inta nares inæqualiter agente & titillante, aut parum

Cætim irritante stimulatō percipiatur, hincque per consensum,
 ratione continuitatis commoveantur non tantum meninges,
 verum etiam omnes ipsarum propagines, sive nervosum genus,
 quod una cum musculis totius motus voluntarii organum est,
 & instigentur ad propellendum illud, quod irritat, legi de his
 possunt Fallop. de medic. purg. simpl. c. 22. p. m. 97. prælaudat.
 Wedel. in Physiol. medic. p. m. 181. Galen. de sympt. caus. l. 2. p. 88.
 Et quia sternutatio est motus compositus ex inspiratione, & expi-
 ratione nec fieri possit, nisi præcedat aëris adtractus per nares,
 & hinc expiratione terminetur, idem videmus in sternutatione
 aërem longo quasi tractu attrahi, atque quædam cum pausa,
 seu morâ retineri, inque unum quasi colligi, ut etiam hinc vis
 unita evadat fortior, postmodum verò cum validâ, & totam
 nostri corporis machinam percipienti vehementiâ, concussio-
 ne & motu simul ac semel expirati, idque cum strepitu valido,
 interdum maximè sonoro, quia ipsi transitus est per angustum,
 vid. Hipp. l. 1. aphorif. 51. p. m. 106. hinc & merito sternutatio
 teste sæpe laudat. Wedelio in physiolog. reformat. c. 13. p. m. 488.
 motus naturalis in animale citatus dicitur. Hic observatu
 dignum occurrit, quod, cum sternutatio inspirando absolva-
 tur, ad hunc motum autem perficiendum operam suam con-
 tribuant musculi pectoris, diaphragma, gula, fauces, pulmo-
 nes, musculi abdominis, aliæque plures partes, idem sternuta-
 toria in his jam dictis, & omnibus aliis, quæ in sternutatione
 alias concutiuntur partibus motum contractorium & explosio-
 rium excitare possit, & quidem satis validum. An sternuta-
 toria ex ipso quoq; cerebro, hujusque ventriculis aliquid simul
 educant? videntur aliqui dubitare; quia tamen observatio-
 nes à practicis hinc inde annotatæ, imò quotidianæ docent
 experientia, interdum pus, aliosque humores corruptos ac vi-
 tiosos, vermes quoque idque genus alia, quæ in naribus la-
 tuisse, nulla planè suspicio nec conjectura esse potuit, nec esse
 poterit, naturæ fortiori conatu, vel ope sternutatoriorum per
 nares prostrata & rejecta fuisse, vid. Willis. in cerebri anatom.

612. p. 100.

6. 12. p. m. 60. & Job. Schenckius in l. 1. de capis. obs. 1. p. 20. 31. in de
 maribus. l. 1. obs. 17. p. m. 187. it. obs. 14. pagin. citat. atque hinc
 sæpè symptomata pertinacissima & gravissima, si non planè
 soluta, saltim mitigata fuisse, idè non ausim experientiis
 protervè contradicere, licet sensus visus vias nondum invenit,
 ab hoc enim, ad illud negandum, non valet consequentia.

§. VII.

Cognito itaque objecto, non adè difficile erit *modum*
 agendi sternuatoriorum ex dictis deducere. Galen. 8. de me.
 dic. simp. fac. class. 5. p. 229. dicit: Sternutationem provocare
 omnia, quæ sunt calidæ temperiei, & gustu acria; Consenti-
 unt in hoc omnes medici, & prarmica medicamenta acria vo-
 cant, facultatem cerebri expultricem irritantia vid. Zacus.
 Lusitan. tom. 2. p. m. 129. River. institut. l. 5. f. 1. part. 1. c. 13.
 p. m. 172. Sennertus institut. l. 5. part. 1. f. 1. c. 18. p. m. 391. &c.
 Quatenus enim calida sunt, poros aperiunt, meatus recludunt,
 transudationem promovent; quatenus simul acria, incidunt,
 attenuant, dissolvunt humores crassiores, separant serum in ca-
 pite hæsitans; sollicitant quoque irritant, stimulant membra-
 nas, & totum nervosum genus, vimque elasticam explosivam
 promovent.

§. VIII.

Abfolvitur namque sternutatio ex mente aliorum & præ-
 laudati Wedelii (1.) irritatione; (2.) fusione & liquatione;
 (3.) excretionem, (4.) seri; vi elastica expansiva; hinc omnia,
 quæ vim seri elasticam promovent, sternutatoria esse ait, vid.
 Amanit. Mater. Medic. p. m. 449, & p. 451.

§. IX.

Jure merito ergò sternutatoria propriè sic dicta ad Mé-
 dicamenta tertio gradu calida referuntur, quippe quæ de suo
 volatili expanso manifeste; & satis quandoque validè nares af-
 ficiunt atque stimulant.

§. X.

Quæ verò in secundo gradu calida laudantur præ-
 mica,

mica, illa magis improprie sic vocari arbitror, quoniam maximè eorum vim corrigunt atque reſſenant, magisque roborando quàm ſtimulando capiti conducunt.

§. XI.

Denudatis itaque qualitatibus ſternutatoriorum, jam eorum materiam breviter proponere competit; Notum verò eſt regnum tripartitum totius materiæ medicæ apparatus larga manu ſuppeditare: hinc inter *Vegetabilia* præ aliis ab autoribus deprædicantur e. gr. Radices hellebori albi, aliquibus etiam nigri, quas egregie capiti conducere teſtatur *Helmontius p. m. 228. & p. 188.* hinc & proverbium enatum fuit: caput helleboro dignum, quoniam magni illud uſus eſt in amentia, teſte *Helmontio. it. zinziberis, pyrethri, ireos Florentinæ, lil. convall. cyclaminis, ptarmicæ, audit etiam aliquibus pyrethrum ſylveſtre, vid. Frid. Hoffman. clav. in pharmac. Schræd. p. 527. & Domin. Chabre. ſtirp. ſciagraphia p. 368. & in apend. pag. 633.* Inter Folia vero primum locum obtinent nicotianæ, quæ *Job. Neander in Tabacolog. p. 74. & Riverius in l. 1. p. m. 199.* ſola arefacta commendat, & *Magnenus de Tabac. exercit. 7. p. m. 149. & 149.* potius folia tabaci noſtratis, quàm Indici laudat: porrò huc etiam referuntur fol. betonicæ, majoranæ, ſalviæ, quæ tamen magis ptarmicorum acrimoniam ſua. virtute cephalica corrigunt. Inter flores potiffimi ſunt lil. convall. ptarmicæ, de quibus vid. *Galen. de ſimpl. medic. facult. l. 8. p. 221.* item lavendulæ roſismarini, origani. Inter fructus ſunt e. gr. caryophylli; inter ſemina quoque quædam ſuum nomen inter ptarmica profitentur, & *Dioſcoride* teſte, Sinapi non infimi loci eſt, it. nigellæ, ſtaphisagriæ; Baccæ quoque huc ſpectant v. gr. piper alb. cubeb. à *Macafio* & aliis laudantur. Gummata etiam huc referuntur v. gr. euphorbium, Peruvianum & Succinum quod ſuccis bituminofis annumeratur.

§. XII.

In Regno *Animali* moſchus & caſtoreum proſtant: delicationis texturæ nares ſæpè etiam CC. urinæ &c. ad ſternutandum ſollicitantur.

§. XIII. Re-

Regnum verò *Minerale* Θ lica commendat, imprimis verò Θ lum album maximè laudatur, hincque ptarmicorum apex saepe laudato *Wedelio* in *Amant. mat. med. p. 451.* vocatur.

§. XIV.

Inter *Præparata* prostant varia, ex *ficcis* quidem primo pulveres sternutatorii *Rolsinc. Zwelfer. River. Hollerii, Mynsicht. &c.* imprimis hic etiam mentio facienda est Tabaci granulati variegatiq; colore; sic granulatum album prostat variis in locis, & quotidie venditur, quod cujusdam experientissimi in arte medicâ Viri iudicio, nil, nisi Gypsum ambratum est. *Sylvius in meth. medend. l. 2. c. 19. p. m. 88.* Φ io quovismodo præcipitato atque solo, l. aliis ptarmicis mixto tantum non mira adjudicat, sed meliora & tutiora prostant: Θ ia quoque acriora & volatilia loco allato commendantur v.g. Θ Ale CC. Sic etiam & Θ Θ li commendatur à *Macasio.* Species diatabaci, diamajoranæ à *Mynsichto* in *armament. medic. Chym. f. s. p. m. 118. 119.* elegantissimi usus, omni encomio ab eo adornantur. Species diamb. diamosc. confortandi sine, respectu habito ad subiectum etiam laudantur. Ex præparatis spisis extract. hellebori etiam huc refertur. Ex *liquidis* verò Θ li & Δ is commendatur à *Riverio*; Θ *ci efficacissimus etiam solo odoratu laudatur à prælaudat *Wedelio.* Succici & decocta prædictorum simplicium his adjungi possent; verum cum aquositate spiculæ Θ inæ magis infringantur & discontinuentur, potius ad errhina spectant. Φ ea etiam numerum liquidorum adaugent, v. g. majoranæ, rutæ, rofarum, cinamomi; sed hæc ipsa etiam potius confortandi sine ad guttam unam vel alteram adhibentur, quam sternutandi. vid. nostr. *Wedel. in Amant. mat. med. p. m. 455.*

§. XV.

Absoluta sic materia sternutatoriorum, jam *Magistralia* quædam apponere possemus, quia tamen hæc facile confici

B

que-

queunt, & varia passim prostant formulae, non diu his immorabimur, sed saltim aliqua dixisse sat erit. v.g.

R. rad. helleb. alb. pyreth. aa. ʒʒ. fol. nicot. exsiccat. beton. majoran. aa. ʒj. flor. lil. convall. ʒij. ʃ majoran. gt. ij. l. iij.

M. F. l. a. pulvis. S. **Haupt = stärckendes Niese Pulver.**

R. spec. diamajoran. dianicot. Mynf. aa. ʒj.

M. S. ut supra.

R. Flor. lil. convall. lavend. anth. origin. aa. ʒj. Oli alb. ʒʒ. sem. *staphisagriae*. anil. aa. ʒj. ʃ rosar. cinamom. aa. gt. ij. ambr. gr. IV.

M. F. l. a. pulvis S. ut supra.

R. Flor. lil. convall. majoran. lavend. rosmarin. a. ʒʒ. rad. helleb. alb. ʒj.

M. F. l. a. pulvis S. &c.

Ex dictis elucescit, dari *Differentias* inter sternutatoria, hinc *Julius Cas. Claudinus de ingressu ad infirmos l. 2. c. 26. p. 97.* & cum eo alii praetici dividere solent sternutatoria in *mitia*, e.g. ex majorana, hedera, ac semine lapathi acuti; *mediocria*, seu fortiora e. g. pyrethrum, piper, sinapi, caryophylli; & *fortia* e.g. ex helleboro utroque, staphisagria, colocyntide, c. granis duobus moschi. Dividi quoque possunt in *sicca* ut sunt e.g. pulveres ptarmici, seu sternutatorii; & *humida* v.g. succus betae, majoranae, referre huc liceat vapores acres ab allio, capis, sinapi, raphano naribus

adhibitis.

CA

CAPVT II.

De

Ufu & abusu Sternutatoriorum.

§. I.

Comune & ferè omnibus notum porisma est: partes extremas & aliàs excretioni dicatas, facilius aliis affici: testatur etiam de veritate ejus quotidiana experientia; Natura enim segregat & procul à vitalitatis foco ablegat quicquid inutile atque indignum vitalitate est, ad remotiora. Patet hoc in capite, parte corporis nostri ordine quidem atque loco extima, dignitate verò atque excellentia facilè omnium prima, cui appositæ sunt nares, quarum meatus excretorium quoddam & emunctorium sunt feri superflui segregati in capite. Natura enim ad illas, tanquam partem excretioni capitis sacram ablegat Θ so serosas atque pituitosas totius cerebri quisquillas, quas vel in ipso vapor advectus ex inferioribus ventribus, & hîc condensatus suggessit, l. m. vasa lymphatica, & salivalia superfluè paulatim adduxere. Neque enim nos urget ulla necessitas, cerebrum ab omni serosâ colluviè immune statuere, nec de excerniculo hoc capitis amplius dubitare, cum avtophia & sana ratio nos certiores reddant. vid. *Willel. in cereb. anat. c. 13. p. m. 60.*

§. II.

Quandocumque ergo (ut ex superioribus hoc repetamus) lymphæ hujusmodi glutinosa, salsa, de statu suo dehiscens in capite abundat, & expultrix facultas vel debilior, vel quasi sopita est, tum sternutatoria partim materiam peccantem crassorem, & mucosiorē incidunt, attenuant, fluxilem reddunt, serique vim elasticam promovent, partim ad excutiendum tunc peregrinum hospitem, expultricem facultatem excitant: proinde

B 2

&

& hoc loco illud Hippocratis 2. aphorism. 22. dictum de evacuationibus valet, quando dicit: Quicumque morbi ex repletionibus fiunt, evacuatio sanat, & quicumque ex evacuatione repletio & aliorum contrarietas.

§. III.

Specialem sternutatoriorum usum quod concernit, attendendum hic merito est (1) quod sternutatoria serum in capite superfluum incidant, evacuent, & protrudi faciant. (2.) quod totum corpus concutiendo, tam musculos, quam omnium vasorum genera conquatiant, hinc motum spirituum & sanguinis promoveant, & cavitates ac meatus comprimendo in iis contenta propellant, exprimant, imò explodant. Ut vero, quam fieri potest, breviter, in quibus morbis conveniant nec ne, una cum suis cautelis, ad abusum præcavendum, tradamus, jure merito omnium primo *Soporosis* in effectibus ea commendamus, quippe cum membranas narium, sensiles nimis titillando & vellicando, sopitum Archeum egregiè excitent, munerisq; sui memorem reddant; hinc in comate, lethargo, caro, cataleptico catoche cum successu usurpata legimus sternutatoria, etiam fortiora, præmissis tamen purgantibus, vid. *Etmüller* c. 7. p. m. 427. *River*. l. 1. *prax.* c. 2. p. 203. sed non diu continuanda svadet, ne fortè caput repleant, humoresq; magis fundant, & hinc graviorem morbum iaducant. vid. plura apud *Gal.* l. de *instrum. odorat.* p. 388. & *Joel.* in *prax. rom.* 2. l. 1. f. 2. p. m. 73. *Sennert.* l. 1. *prax. part.* 2. c. 2. p. m. 157. *Willis.* in *tractat. de anim. brut.* in *patbol.* c. 3. p. m. 184. *Joh. Neander* in *tabacolog.* p. m. 89. pulverem tabaci in hoc casu magni facit, sed non sæpius reiterandum svadet, cum caput facile inde repleatur viresque prostermantur.

§. IV.

In *Apoplexia* etià commendantur sternutatoria excitantia & executientia à *Joel.* in *rom.* 1. l. 1. f. 3. p. 96. sed tamen purgata prius alvo. it. ab *Hartmanno* in *prax.* c. 11. p. m. 72. *Sylvio* *prax.* l. 2. c. 21. p. m. 325. *Etmüller.* c. 10. p. 450. qui dicit, si post horæ quadrans

quadrantem non redeat ad se ager, sternutatoria inflanda esse, vid. *part. 2. in comment. in Schræd. & Morell. pag. 417.* *Horsius quoq; Sen. in tom. 2. l. 2. obs. 13. p. m. 72.* rectius post universalia & revellentia, quàm in principio sternutatoria approbat. vid. & *Sennert. l. 1. part. 2. c. 33. p. m. 669. 670.* *Paulus Sorbait. in medicin. pract. part. 1. c. 3. p. m. 214.* *Glum. alb. in Traj. a. majoran. solur. egregie commendat.*

§. V.

Pamlysin que que aggrediuntur sternutatoria, prius vero corpore purgato, vid. *River. l. 1. prax. c. 5. p. m. 209.* excutiunt enim quandoque peregrinum mialma nervos obstruens, atque hinc ruituum liberiores morum promovent. vid. *Sylvius in Prax. l. 2. c. 22. p. m. 331.* & *Sennert. l. 1. Prax. part. 2. c. 27. pag. m. Cautetamen etiam sunt usurpanda, ne forsitan fortiores hi motus agrum in deterius præcipitent.*

§. VI.

In vertigine laudantur etiam sternutatoria post evacuationes universales à *River. l. 1. Prax. c. 9. pag. 219.* verùm cum in vertigine ruituum inordinatus motus adsit, majorque turbatio metuenda, potius ab illis, imprimis fortioribus abstinendum erit, consentit *Etmüll. part. 1. c. 8. p. 430.* qui etiam *part. 2. p. 427.* dicit, in senibus partim præcavere, partim curate vertiginem & apoplexiam, præmissis præmittendis. vid. sæpè laudatus *VWedel. in Amœnit. mater. med. p. m. 4; 6.* & in *medic. cam. facult. p. m. 21.*

§. VII.

Epilepticis insultibus que que ptarmica subvenire à quibusdam practicis dicitur, hinc *Joel. tom. 2. l. 1. f. 3. p. m. 85.* in ipso *Par. xylino pulverem ex helleb. alb. fol. majoran. castor. & Euphorb. inflare jubet. vid. Villif. tract. de morb. convuls. c. 3. p. m. 32.* & *Hartman. in prax. c. 10. p. m. 68.* *Etmüller part. 2. in comment. in Schræd. & Morell. p. m. 417.* *Sennert.* quoque in paroxylino in adultis fortiora adhibere iuvat, *l. 1. part. 2. c. 31. p. m. 597.* Verùm cum ptarmica non benè conveniant in illo casu,

ubi vis feri elastica peccat, magis namque illam promovent, & adaugent, hinc & illis cautè mercandum erit, teste nostro *Wedel. in lib. de medic. facult. p. 210.* & Ejusdem *Amanit. mater. medic. p. 457.* quoniam & epilepsiam ciere & propellere possunt, quod primum exemplo duorum puerorum sternutationibus certantium, ibi probat; ubi unus illorum epilepsiam, alter vero vertigine corripiebatur, propellere vero possunt epilepsiam, quia caput levant. Potius igitur confortantia conveniunt, quàm sternutatoria: Commendantur tamen in morbis *simulatis* cum defectu animi à *Paulo Zacchia in Quæst. medic. legal. tom. 1. l. 3. titul. 3. quæst. 4. p. 279.* & in specie in epilepsia simulata à virgine quadam, quem calum autor citatus è *Sanctorello* recenset, subjungitque impossibile esse eorum vi simulantem non excitari, & ad sensum volentem nolentem non redire.

§. VIII.

Syncope quoque sternutatoris eget, quippe & ab animalibus motis, etiam vitales commoventur; vid. *Sorhai in medic. pract. tract. 1. c. 47. p. m. 339.* hinc & *signum mortis* dicitur, ubi non operantur; id enim extinctas, & consopitas omnes vires denotat, vid. *Paul. Zacchias in quæstion. medic. legal. l. 4. tit. 1. quæst. 11. p. m. 374.* prælaudatus *VWedel. de facult. medic. p. 210.*

§. IX.

Catarrhi in genere sternutatoriorum tam præservativè quàm curativè indigent; vid. *Etmull. part. 1. p. m. 400.* commendatur hinc in specie in principio coryzæ, seu gravedinis ab *Helmontio p. 228. it. p. 188. belleb. nigr.* cum sacchari anatica proportione vesperti assumendus, quod tamen teste laudato *VWedel. de facult. medica.* Potius in statu & declinatione competit. Humores enim adhuc crudi non evacuandi sunt. Sic approbandantur quoque in catarrho proprie sic dicto, qui in pulmonibus & ventriculo decumbit, teste *Sennert.* hinc & *Galen. 2. de sympt. caus. s. 56.* in tali casu maximè sternutatoria comprobant.

probat. Adhibentur vero sternutatoria in catarrhis hęc cum cautelā, ut, si forsan à capite ad asperam arteriam & pulmones fiat affluxus, evacuationibus universalibus præmissis sternutatoria tutius applicare concessum sit; si verò ad nares & oculos fiat exundantia, tunc potius masticatoria præ illis indicantur. Pertinent ad catarrhos quoque odontalgia & olfactus abolitus, ab hujusmodi causa sæpè sientes, ubi sternutatoria quoque conveniunt.

§. X.

Singulum sedant sternutatoria, teste ipso *Hippocrate* 6. *Aphor.* 13. partim ob consensum capitis cum ventriculo, partim etiam ob flatum in suprema parte ventriculi incarcerationis, & sic diffusos. vid. *Galēn.* l. 2. de *sympt. caus.* c. 4. p. 88.

§. XI.

In oculorum affectibus à *Barbolino* & *Stenone*, ut & *Paul. Sorbati* comprobantur; verum cum naribus sint proximi, & hinc facile concussio major in illis contingat, simulque lachrymales glandulæ stimulatae lachrymas profundant largius; ut raceamus multa ab *Hildano* in *observat.* & à sæpè laudato *Vvedelio* in *Amœnit. medic.* p. 458. in contrarium allata esse, potius omittenda erunt: hinc *Etmullerus* in *comment. in Schræd. & Morell.* p. m. 427. egregiè monet, si sternutatoria hujusmodi in casu prodesse debeant, malum sit in principio, oculi robusti, & æger junior. vid. & *Fellop.* in 2. *tract. de vulner. pecul.* c. 4. p. m. 242.

§. XII.

Per accidens quoque partum promovent, & teste nostro *Vvedelio* in *facult. medic.* p. 212. vomitoriis ferè palmam reddunt dubiam, vid. *Hipp. de morb. mulier.* l. paræg. 355. p. 481. in situ naturali foetus sternutatoria svadent, namque & os comprimere jubent, ut eò efficacius sternutamentum fiat; commotis & contractis enim sic diaphragmate & musculis abdominis, fortiter etiam uterus comprimitur, & hinc partus facilitatur. vid. *Etmull.* p. 1. p. m. 393. *River.* in *Prax.* cap. 18. p. m. 491.

§. XIII.

In suffocatione uteri ad excitandas sensu & motu quasi privatas, egregiè conducunt, teste Hipp. de morb. mul. 2. s. 3. parag. 263. sternutatoria, sedentibusque applicari debent. vid. Ettmüller. part. 1. p. m. 575. Riverius p. 455.

Capitis dolor vel à vaporibus crassis, vel à ferosâ colluvie causatus, sternutatoria etiam in usum trahit. vid. Hipp. de affect. s. 1. parag. 20.

Applicantur verò sternutatoria tempore electionis magis prius corpore purgato; evacuationes enim universales particularibus sæpe sunt antependendæ & matutinis horis instantur ad pisi magnitudinem, vel attrahuntur, positu supino capitis, vel etiam sedentibus ægris. Tempus verò necessitatis variat etiam illorum usum; hinc urgente malo promiscuè usurpari possunt, hoc saltim observato, ut nec luxuriemus in superfluis, nec deficiamus in necessariis.

Permittunt verò sternutatoria robur & vires patientis, quæ non tam à presenti statu, quàm, antequam correptus fuerit æger morbo, desumendi; permittunt quoque sternutatoriorum usum robur & sanitas partium concurrentium, hinc non conveniunt in illis, ubi nares faciliè stillant, neque ubi ulcere laborant; parti enim afflictæ non addenda est afflictio: nec in sputo cruento, neque phthisi, neque costis fractis, herniis &c. partes enim hæ omnes in sternutatione commoventur fortissimè, hincque facile aliqua noxa in illas redundare potest. Limitant quoque prarmica narium delicatus sensus seu *σναιδνολα*, cujus prælaud. Wedel. in Patholog. p. m. 582. meminit, ubi vir quidam ab aloë in os sumptâ, statim sternutavit; & quoque loco alio meminit ejusdem viri, qui rosarum tempore non potuit in publicum prodire, ob nasi delicatissimum sensum, quin statim infinitas sternutationes subibat. vid.

vid. Kerckringius in *obs. anatom.* 51. Potissimum itaque in his necessarium erit vel planè illis abstinere, vel leniora propinare; aut si necessitas fortiora requirat, non adedò subtiliter pulverisata administrare; pro gradu quippe pulverisationis etiam variat esse & usus. In sicciore bilioso, & melancholico temperamento exulet quoque eorum usus, quoniam ibi humores magis augendi & conservandi, quàm imminuendi & evacuandi sunt.

§. XVII.

Ut verò & paucissimis hodiernum ptarmicorum abusum tangamus, nil hodie est frequentius, quàm continuè nares pulveribus hujusmodi vexare, hinc & in deauratis pyridibus plurium circumgeruntur manu sternutatoria, dosesque pulverum non amplius carpo duorum digitorum, verùm integris oculis in die naribus propinantur. Quid verò tot vicibus frequentatus usus post se trahat, ridiculaque Italarum & Hispanorum imitatio deplorandi relinquat, multorum infausa demonstrant exempla: Namque non modò humidum illud ad olfactus tonum servandum constitutum depauperant, vid. *Nicol. Pecclinus l. 3. obs. Medic. Physiolog. 10. p. 412.* ut postmodum neque odoris neque tactus reliquæ in naso remaneant, verùm & tantoperè humores illuc attrahuntur, ut facillè etiam in oculos ipsos postmodum ruant, & vel omnimodam cæcitatem, vel tamen satis notabilem visus imbecillitatem inducant; Quemadmodum hoc satis certò constat ex relatione eorundem, qui Italiæ fines vistarunt, contestantur enim certò certius, se monachos juniores vidisse, qui à nimio usu tabaci sternutatorii, sole meridiano clarè splendere, nil videre, nisi cum perspicillo supra nasum posito potuerint, ut etiam hoc *Ermüller. part. 2. p. 427.* de Italis testatur, præterea experientia teste etiam aliquando nasus ab eorum frequentato usu in quodam viro in tam spectabilem molem increvit, ut postmodum de remediis cogitandum fuerit.

C

§. XVIII

¶ (18) ¶

§. XVIII.

Conveniunt ergò sternutatoria præservandi fine in humidioribus & serosioribus, sed potissimum mitiora cephalica, confortantia horis matutinis assumenda, neque unquam de die reiteranda, nisi vel nares obstructæ sint, vel alia necessitas id urgeat; hoc enim modo capiti maximè conducunt, & conservant illius temperiem. Verbo, valet etiam hæc, illa in omnibus aliis rebus quoq; observanda Regula:

Medio tenuissimus ibis.

Soli Deo sit laus honor & gloria
in æternum.



Hel-

Hellebori vires retulit quas Græcia
mendax,

Acidè Anticyros nobilitavit a-
gros;

Quemque loco Hellebori jactat nunc
Itala tellus

Pulverem, & ejusdem jactat Iberus o-
pes:

Horum Tu monstras usum, reprehendis
abusum,

Quoque modo capiti concilientur;
agis.

Hæc *Tua* continui prostant monumenta
laboris,

Queis patrio felix excipere sinu.

Non opus Anticyras habet ut mittatur in
oras,

Non eget Helleboro, qui *Tua* scripta
legit.

*Ita pro meritis honoribus Clariss. Docto-
randi ex animo gratulabundus
adplaudit*

PRÆSES


Sensus ubique vigil residet, sed naris
acutus,
Si quid contra aliis acre molestet e-
um.

Sensum explosivum hunc dum docto digeris
ore,

Ille Tibi medica fœnerat arte decus.

Honoribus meritissimis Cl. Doctorandi
sincero effectu gratulor

Georg. VVolfgangus VVedelius.



01 A 6559

ULB Halle

3


002 936 151



Sb.

Vb 17







50
55

J. N. J.
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
NATVRA ET VSV
STERNVTATORIORVM,

Quam
Jussu & Autoritate
Illustris ac Gratosissimæ Facultatis Medicæ
in Alma Salana,
PRÆSIDE
RVDOLFO WILHELMO
CRAVSIO,

Heredit. in Messingen / Phil. & Med. Doct. Pract. & Chim. P.P.
longè celeberrimo, facultatis medicæ Seniore gravissimo,
S. R. I. A. N. C. Collega primario,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore suo perpetuo colendo,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica honores, insignia & privilegia
DOCTORALIA, more majorum, legitimè consequendi,
Publico Philatrorum examini subiecti

GOTTLIEB ALBRECHT,

Vratisl. Sil.

Ad d. Julii A. M. DC. XCV.

in Auditorio Majori,
Horis ante & pomeridianis consuetis.

LENÆ, Literis MVLLERIANIS.